

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXII. De tribus pulsibus cordis Christi in sua morte.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XXXII.

DE TRIBUS PULSIBUS CORDIS CHRISTI IN SUA MORTE ¹.

INTERROGATUS est Dominus qualiter a tribus pulsibus divini Cordis sui citius fuerit mortuus, sicut in hoc libro supra est prænotatum ². Ad quod Dominus tale dedit responsum: « Cum anima mea in jubilo beatissimæ Trinitatis primo est creata, statim in ipsa creatione sui, veneranda Trinitas inæstimabili eam circumplexans amore, tota sua Divinitate illi se infudit, omniaque sua ipsi plene donavit: Deus Pater, omnipotentiam suam; Filii persona, suam increatam sapientiam; Spiritusque Sanctus, omnem bonitatem sive amorem; ita ut anima mea haberet omnia per gratiam quæ Divinitas habet per naturam. In ipsaque ista unione, illud divinum et æternum desiderium, quod sancta Trinitas ab æterno habuit ad uniendam naturam humanam Divinitati pro homine redimendo, animam meam ad perficiendum opus istud ineffabili succendit amore. Cum etiam in divina sapientia plene et lucidissime agnoscerem omnem humanitatis meæ gloriam, et omnia quæ illi erant ventura, et exinde hominis salutem permaximam, divino quodam gaudio super omnem modum replebar. Infusione quoque benignissimi amoris, quo Spiritus Sanctus se animæ meæ plene communicavit, tam benevola et parata ad redemptionem humani generis est effecta, ut onus illud suave ipsi videretur. Sed statim in ipsa hora

Quantum
Christi
anima in
salute n
humanam
ardebat.

1. Caput istud, quasi adventitium ac posterius saltem scriptum, in præcipuis tantum codicibus, ultimo quidem loco, reperitur.

2. Part. 1, c. v. § 4. pag. 18.

Animam
Christi a
corpore
amor
separavit.

conceptionis meæ a Spiritu Sancto, cum anima corpori est associata, divinum illud desiderium omnipotentia moderando continuit, et sapientia gaudium illud temperavit, Spiritus-que Sanctus suæ dulcedinis unctione amoris fervorem lenivit, quatenus humanitas mea vitam servaret temporalem. Instante autem hora mortis meæ, amor ille omnipotens, sapiens et benignus, qui antea Cor meum tam valde pulsaverat, totius divinitatis suæ prævalentia desiderium meum et gaudium relaxans, amore inæstimabili, et superexcellenti Cor meum constringens, animam a corpore separavit; cui omnis pene acerbitas, quæ unquam excogitari potuit, mortem non intulisset. »

EXPLICIT PARS QUINTA.